197
195
201
191
206
186
246
146
296
096

dotibus pane, carne et vino, et ad ei offerendum de longinquo veniebant. Ad sacerdotem autem mansuetus erat, sed ad alios ferus, eoque mortuo alius subrogabatur. Alii colebant canem, lupum, simiam, draconem, aspidem. (**138 a**) Alii cepe, allia, (?) spinas. Scarabaeum autem summopere venerabantur, quod ridiculosissimum est. Dicit etiam Apollonius in Vitis Patrum, quod illi Aegyptii, qui cum Pharaone non fuerant ingressi post filios Israel, audientes omnes esse submersos in mari, ultra modum multiplicaverunt deos, quilibet enim divinum honorem illi rei exhibuit, qua impeditus remansit, ut, si vir sequi Pharaonem volens retractus ab uxore dixit: deus meus es tu, quia per te vitam habeo. Sic artifex materiae sui artificii honorem divinum exhibuit, et ita nugis irrationabiliter et multipliciter delusi fuerunt. De his multa in diversis loquitur Augustinus de Civitate Dei, et Eusebius de evangelica praeparatione L. III. C. 3 et 4. L. VIII. C. 5. et Boccardus de generatione deorum gentilium.

Sic ergo poetae materiam fictionum maxime sumserunt ab Aegypto. Insuper et naturales de terra scribunt, ut Plato, Aristoteles, et caeteri Aegyptum commendant prae aliis terris, et in ea ab antiquo doctissimi manebant, et de universi mundi regionibus ingenio praestantes in Aegyptum migrabant, ut sacerdotes Aegyptios et vates memphiticos et heliopoleos ac thebanos audirent et monstra deorum in templis cernerent. Nam in Aegypto schola erat antiquorum doctorum, sicut refert Eusebius de evang. praepar. L. X. C. 2. Ibi claruerunt naturali scientia Orpheus, Danaus, Museus, Melampada, Daedalus, Homerus poeta, Lycurgus Spartiata, Solon Atheniensis, Plato philosophus, Pythagoras Samius, Eudoxius mathematicus, Democritus Abdera, Eunapides Chius. Et probat Eusebius de praeparatione evangelica L. X. C. 2., quod Graeci paene omnes sapientiam ab Aegyptiis habuerunt, maxime tamen scientiam astrorum, propter quam etiam Dionysius ab Athenis in Aegyptum transmigravit, ubi in eclipsi solis, quae fuit in hora mortis Christi, Deum incognitum philosophia naturali professus fuit. Unde tota terra illa fuit civitatibus amplissimis ornata et templis locupletissimis et gymnasiis gravissimis, in quibus multarum scientiarum principia sunt inventa.

Medicinam dicunt ibi primum floruisse eamque ab Apolline, qui primus herbarum virium cognitor fuit, practicatam fuisse. Qui-

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;